



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

41. An possessor bonæ fidei, si inæqualiter dubitet, & magis inclinēt in eam partem, ut res sit aliena, teneatur iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere ? Ex p. 2. t. 15. & Misc. 1. r. ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

& in hoc casu Valentia rom 3. disp. 3. quest. 1. punct. 2. Bannez in 2. 2. quest. 10. art. 1. dub. 3. & Salonijs ubi supra, asserunt, sic dubitantem teneri partem restituere pro ratione maioris illius propensionis. Et ratio est, nam in pari causa, vt diximus melior est conditio possidentis, sed quando possidens magis inclinat eam partem, vt res sit aliena, non dicitur potior causa. Ergo ratione istius imparitatis, & inclinationis tenetur aliquid restituere illi, cuius rem esse dubitat.

4. Secunda tamen opinio, cui tanquam probabiliori adhaereo, asserit, sic dubitantem non teneri ad vllam restitutionem; quia possessio certa prauelet rationibus inducentibus in partem oppositam, dummodo non sint adeo efficaes, vt illius partis assensum generent. Ita Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 9. Vasquez in p. 2. q. 19. art. 6. disp. 6. c. 7. n. 42. Aragon. in 2. 2. q. 62. art. 1. Imo addit Salas in p. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnic. sect. 23. n. 231 hoc esse verum non solum, quando rationes pro contraria parte assensum non generant, sed etiam quando eam generant, dummodo non conuincant, nec assensum sit certus physice, aut moraliter, sed merè opinatiuus, adhuc enim verè res est dubia, ac possessio omnibus rationibus non conuincentibus praeponderat.

5. Ad argumentum contrariae sententiae respondeatur, Possessionem certam, vt dictum est, prauelet, & meliorem esse possidentis conditionem, etiamsi dubium non sit par, & aequale. Ex his patet responsio ad supra positum quaesitum.

RESOL. XLI.

An possessor bona fidei, si inaequaliter dubitat, & magis inclinat in eam partem, vt res est aliena, teneatur iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 10.

§. 1. Affirmatiuè responderet Bannez 2. 2. quest. 61. in praebulo ad illam dubitat, concl. 1. Ledesma de matr. q. 45. art. 1. ad 9. prime sententiae dubij secundum Salonijs in 2. 2. q. 62. art. 6. contr. 4. concl. 4. Sanchez de matr. 10. 1. lib. 2. disp. 4. n. 10. & hanc sententiam puto etiam tenere Sayrum in Classi Regia, lib. 10. tr. 2. c. 3. n. 29 Barthol. à Paulo in speculo confess. disp. 4. q. 260. vbi asserunt, in dubio aequali possidentem bona fide, non esse obligatum ad restitutionem.

2. At mihi semper contraria opinio visa est probabilior, quam tueretur, & docet Vasquez in part. 2. tom. 1. disp. 66. art. 7. numer. 42. vbi loquens de supradicta opinione asserit: [Ego hanc sententiam existimo nulla ratione esse admittendam. Nam quamuis pro altero, qui non possidet rem, fortiores videantur rationes, & coniectura circa res proprietatis, tamen si non sunt vsque adeo efficaes, vt generare possint assensum illius partis, sed rem adhuc dubiam relinquunt, non debet censerī maius, & potius ius proprietatis vnius, quam alterius, cum adhuc in dubio res maneat, dubia enim res aequè videtur vtramque partem respicere. Ergo si rei in dubio existenti accedat certa possessio, potior erit causa possidentis. Quocirca quamuis vtgentiores videantur rationes pro eo, qui non possidet, si tamen non sufficiunt assensum generare, non obligabunt ad vllam restitutionem. Doctrina verò de dubio, in quo melior est conditio possidentis, intelligitur, quando nullius est assensus pro altera parte. Haec Vasquez. Igitur in casu, quando possidens bona fide inclinat, vt res sit aliena, non tenetur iuxta talem propensionem aliquid restituere; quia possessio certa est potior, quam rationes inducentes in partem contrariam, sed non generant assensum.

Tom. VIII.

3. Post haec scripta, iuueni etiam Bonacinam docere hanc sententiam de rest. disp. 1. q. 2. punct. 2. n. c. qui citat Salas in part. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnic. sect. 23. n. 231. & notat Sanchez in sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. nu. 9. retractasse dicta de matrimonio vbi supra, quod non solum retractauit in isto loco, quem citat Bonacina, sed etiam in lib. 2. c. 23. n. 179.

RESOL. XLII.

An si praemissa debita diligentia, ad huc dubius sis, propendas tamen magis rem esse alienam, tenearis eam restituere, vel diuidere? Ex p. 4. tr. 3. Ref. 26.

§. 1. Hanc quaestionem declarauimus in p. 2. tract. 15. resol. 10. & teneri iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere, diximus docere Bannez, Ledesma, Salonijs, & Sanchez, quibus nunc addo Coninch de Sacram. disp. 34. dub. 10. n. 93. Valentiam tom. 3. disp. 3. qu. 16. punct. 2. §. si autem, quia in tali casu non est par causa tua, & aliena, vt possessio tibi suffragetur.

2. Nihilominus in dicta resolutione ego contrariam sententiam docui cum Vasquez, Bonacina, Salas, & Sanchez se retractante, quibus nunc addo Merollam, me citato, in suis disputat. theologicis, tom. 1. disputat. 3. c. 3. coroll. 3. n. 24. Castrum Palatum tom. 1. disp. 3. punct. 2. num. 11. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 21. & Fillucium tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 158. & ratio est, quia possessio praeponderat omnibus rationibus non conuincentibus.

RESOL. XLIII.

An facta sufficienti diligentia, an res sit sua, possit possessor bona fidei ad huc dubius illam retinere, & alienare, vel teneatur rem diuidere cum persona, de qua dubitatur, an eius sit?

Et an durante inuestigatione Domini, possit vti re, qua vsu non consumitur, vt equus, mancipium, &c?

Et an possessor, qui adhibita diligentia, an res, quam possidet, sit aliena, si mansit ad huc dubius teneatur in posterum vero Domino comparenti restituere?

Et quid est faciendum, si spes moralis non est, vt verus Dominus compareat?

Et quid, quando probabilis spes est Dominum compariturum? Ex p. 4. tract. 3. Ref. 25.

§. 1. Non posse asserit Adrianus quodlib. 2. à n. 2. ad 2. confirm. argum. 1. vel saltem teneri diuidere rem cum persona, de qua dubitatur, an eius sit docet Sotus de iust. lib. 4. q. 5. art. vlt. Martinus de Ledesma 2. part. 4. q. 18. art. 1. dub. 14. & Aragon. in 2. 2. q. 62. art. 1. tr. de dominio, ante §. his constituitis; nam ex tante aequali dubio, videtur ius esse aequale vtriusque partis, ergo, &c.

2. At his non obstantibus contrariam sententiam communiter docent DD. vt Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. disp. 1. num. 1. Coninch de Sacram. disp. 34. dub. 10. num. 93. Azorius tom. 2. lib. 2. c. 19. q. 5. Vasquez in 1. 2. disp. 66. cap. 7. a num. 36. Salas in 1. 2. tr. 8. disp. vnic. sect. 23. num. 233. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 9. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 36. conclus. 1. & tom. 3. disp. 72. 1. num. 4. Valentia tom. 2. disp. 2. qu. 14. punct. 4. Salonijs in 2. 2. quest. 82. art. 6. contr. 4. concl. 2. Bannez in 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 5. concl. 4. Saucius in selectis disp. 43. n. 11. Merolla tom. 1. disp. 34. cap. 3.

Qua hic est supra ref. addens, & in ref. prima post praeteritam, §. sed difficultas, & seqq.

Sup. hoc supra in ref. 40. §. 1. Sed lege eam per totam, & doctrinam ref. 41. & 42. vt facilius distingas hanc quaest.

Sup. hoc in ref. praeterita, §. Sed difficultas, & in seqq.

Sup. hoc in ref. praeterita, §. Sed difficultas, & in seqq.